



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De scripturis in Cancellaria c[on]ficia[n]dis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Notario, ita vt satisfaciatur Iudici, vt æquitas, & ratio postulabit.

Quod si aliquis ex substitutis ob suspensionem alterius partis aliamve causam amovendus erit, tunc servetur forma iuris in concordandis partibus coram Iudice.

Communitè tamen, nisi aliud Archiepiscopo videbitur, ita distincta sint illis negotia, vt scilicet duo sint adiutores, & substituti Cancellarij in rebus voluntariæ iurisdictionis; quorum vnus de operam expeditionibus variarum licentiarum, facultatum, & literarum patentium, necnon & aliarum, etiam ad Seminarium, & monasteria monialium pertinentium: Alter verò instrumentis cuiusvis generis conficiendis.

Vnus Notarius substitutus in causis Inquisitionis, qui etiam precessus criminales monialium, & regularium, viro- rum conficiat.

Vnus, aut duo alij Notarij substituti in causis criminalibus.

Duo in causis civilibus ordinarijs, Duo item, vel tres ad vsum visitationis, tam per Archiepiscopum, quam per alios eius ministros faciendarum.

Notarij verò causarum civilium non se interponant in causis criminalibus, nec è conuerso; nisi aliter Cancellario, vel Vicario generali ex causa aliquando videatur.

De scripturis in Cancellaria conficiendis.

Communia de forma scripturarum, & librorum.

N Vllæ Cancellariæ expeditiones dictatæ conscriptæve à partibus, alijsve perentibus capiuntur; sed à Cancellario ipso, eiusve substitutis dicuntur, & conscribantur, extendanturve.

In librum diæcim redigantur formulæ quarumcunque expeditionum, quas in dies ab Archiepiscopo probari, & stabiliri contigerit ad vsum huius fori Archiepiscopalis.

Omnes verò expeditiones fiant ad præscriptâ formularum stabilitarum; nisi aliquando expressè Archiepiscopus, vel Vicarius generalis aliquid immutandum detrahendumve censuerit.

Cumq; aliquid in vlla expeditione, præter formulam præscriptam, ponendum erit, conficiatur in primis in Cancellaria minuta illius expeditionis, eaque ostendatur Vicario generali, & ab eo approbata, certa aliqua, nota, subsignetur; tum demum ipsa expeditio Archiepiscopo subscribenda afferatur, signo in ea posito, per quod Archiepiscopus facile videre possit, quid extraordinarium in ea contineatur.

Idem servetur in omnibus illis expeditionibus, quibus adhuc nulla forma præbata expressè est præscripta.

In calce cuiuslibet expeditionis, que fit in scriptis ab Archiepiscopo, seu Vicario generali, notetur summam, & breviter que in ea continentur.

Ne actis, decretis, ac ordinationibus, alijsve cuiusvis generis scripturis, que ab Archiepiscopo, seu à Vicarijs, & Iudicibus subscribi solent, Cancellarius, eiusve substituti Notarij subscribant; nisi visa prius Archiepiscopi, seu Vicarij, iudicisve subscriptione.

Applicationes Tertiorum, præbendarum, canonicarum, vel dignitatum ex Tridentini Concilij decretis faciendæ, expediantur per publicum Instrumentum, & in librum Instrumentorum referantur.

Idem servetur in certo numero monialium cuiq; monasterio ex Concilio Tridentino, & Decreto congregationis vrbis statuendo.

Omnes expeditiones ad moniales pertinentes, antequam Archiepiscopo, vel Vicario generali subscribendæ offerantur, prius Vicario ipsarum monialium exhibeantur subsignandæ, vnde appareat ab eo probari; nisi cum ab illis secus iussum fuerit.

Stylo cuiq; nè subscribat Cancellarius, vel substituti, sine expressa licentia Archiepiscopi; sed servetur decretum Concilij Provincialis.

Cancellarius, quoties his Decretis constitutionibusve iubetur conficere librum aliquem authenticum, servet hanc rationem; vt in initio libri ponat inscriptionem his verbis;

In nomine Domini, Amen.

Hic liber est mei N. Notarij, & Cancellarij

Sec. 11. deo
de reform.
cap. 3.

Sec. 25. deo
de regul. &
monialium
cap. 3.

Prout. 1. tit.
de not. &
scribit. pag.
25. s. Post.
lancibus.

tellarj Archiepiscopalis, in quo describam, seu describendum, vel redigendum curabo à personis mihi fidei (Hic ponat naturam rei continentem in libro; ut puta) legata p̄ia quæ nota sient, breuia, & literas Apostolicas facultatum, & priuilegiarum concessorum ecclesiæ Mediolanensi, incipiendo ab anno 1579. in Kal. Ianuarij; qui quidem liber est foliorum 800. & in fidem prædicta scripti; adhibito meo consueto tabellionatus signo.

Ego idem N. Notarius, & Cancellarius scripsi, & subscripsi manu propria.

Libri omnes in Cancellaria perpetuo seruandi, præterquam causarum, & huiusmodi, conficiantur in charta magna, dicta: Quaternorum; omnesq; sint eiusdem mensuræ.

Libri verò causarum, tam civilium, quam criminalium, sint ex charta media; ac inter se eiusdem mensuræ: ex eadem charta media sint folia, & quaterni, quibus in casibus ea adhiberi iubemus loco librorum.

Filiciæ omnes habeant Chartonem in inferiori, & superiori parte, cum descriptione vniuscuiusque filiciæ, vt facilius, & conferuentur, & reperiantur scriptura.

Cancellario cura sit maxime, vt tam, quæ ab illo per seipsum expedienda sunt, quam quæ ab eius substitutis, omni celeritate, & diligentia sine vlla mora quoad fieri possit expediatur; tum etiã literæ patentes, & exempla scripturarum, quæ à Cancellario exeunt quauis causa, vel nomine, sint plenè emendata, etiã quod attinet ad orthographiam.

De triplici libro Instrumentorum.

Primus liber Darius, seu folia re p̄te stipulationis.

Habeat Cancellarius librum, in quo tempore stipulationis scribantur veluti per compendium instrumenta, quæ per ipsum, & Notarios eius substitutos nomine suo rogari contigerit in officio.

Quod si extra officium de aliquo instrumento rogatus ad cancellariam quouis modo pertinenti fuerit aliquis eorum, & in folio descripserit, is reponat folium in filicia.

Omnino autem intra duos menses redigantur in Prothocollum instrumenta illa singula, tam quæ in libro, quam quæ in folijs prædictis descripta erunt: excipiantur tamen instrumenta, quæ ad telam iudicariam pertinent; ea enim redigenda erunt in actis causæ in librum illum, vel folium; non autem in Prothocollum.

Secundus liber Prothocoll.

Prothocollum verò sit notatum per numerum foliorum, & Cancellarius sub hac formula, in principio dicti Prothocollum manu sua scribat.

In nomine Domini, Amen. Hoc est Prothocollum meum N. Notarij, & Cancellarij Archiepiscopalis, in quo describam, & redigam, seu describenda, vel redigenda curabo à personis mihi fidei, omnia instrumenta, quæ ad Cancellariam pertinent; & ex decretis, & constitutionibus cancellariæ in Prothocollum redigi debent, de quibus me rogari contigerit; incipiendo ab anno 1579: quod quidem Prothocollum est foliorum. Et in fidem prædicta scripti; adhibito etiã meo consueto tabellionatus signo.

Et hoc etiã subscripsit Illustrissimus, & Reuerendissimus Cardinalis Archiepiscopus, vel, Reuerendus Vicarius generalis; & in singulis abbreviaturis in Prothocollum redactis subscribat per huiusmodi verba.

N. N. Cancellarius, & Notarius rogatus.

Idcirco omnes substituti, qui receperint instrumenta ad Cancellariam pertinentia (exceptis ijs, quæ ad telam iudicariam spectant vt supra) teneantur, si in ciuitate receperint, eo die quo receperint; si verò extra, intra quindecim dies ab eo die quo receperint, consignare folium, seu folia abbreviaturæ, & instrumenti quod receperint, cancellario, sub pena quinquaginta aureorum, & alia arbitrio Archiepiscopi.

Cancellarius etiã seruet in filicia ea omnia folia vna cum suis collecta, reductaq; in ordinem, per seriem dierum, mensium, & annorum: & vt inque, filiciam scilicet, & prothocollum sub clauis, vt supra dictum est.

Filicia.

Cum verò contingeret peti, vt aliquod instru-

Tertius liber extensorum.